

§ 10. *Modus capitulum habendi.*

I. Dignitates et canonici omnes, habitu choralis induti, capitulo interesse debent (1). Si quis inter canonicos adsit protonotarius, ipse etiam habitu choralis, non autem prælatus vestitus esse tenetur, quia protonotarii dignitas, cum sit extranea a capitulo, capitularibus nocumentum afferre non debet (2).

II. In principio et fine uniuscujusque capituli statæ orationes dicendæ sunt (3). Initio convenit hymnus *Veni creator*, et in fine *Pater noster*, *Ave Maria* aliave oratio pro consuetudine. Has preces incipere sive prælegere, et orationem dicere, si opus fuerit, seposita speciali consuetudine, spectat ad præsidem capituli, nisi Episcopus, etiam titularis, adfuerit (4).

III. Omnes in capitulo juxta præscriptum ordinem, prout in choro, sedere debent (5), nulla habita ratione dignitatis, quam quis extra ecclesiam possideret, quia in iis quæ agit ut canonicus, ut talis etiam sedere debet (6). Episcopi autem, etiam titulares, in hujusmodi sessionibus locum occupare debent supra cæteras dignitates et reliquos canonicos ejusdem ecclesiæ (7).

IV. Canonicus, capitulo inchoato, adveniens, admittendus est ad reliqua pertractanda et resolvenda. Iste, omnibus aliis capitularibus ex ordine salutatis, ad locum suum se confert, et mox a præside instruitur de his, quæ tunc temporis tractantur; super quibus ille sensum suum adhuc aperire potest, non vero super jam discussis et conclusis, cum hæc acta et absoluta sint; licet tamen congruat, eum de actis admonere (8).

V. Capitulo inchoato, nemini discedere licet, nisi justa ex causa et cum venia præsidis. Recedens omnes ex ordine capituli inclinatione salutatis, illique detecto et inclinato capite recedentem resalutant. Qui sine causa et sine venia discedit, eadem pœna puniri debet, qua illi qui non accedunt, tum præcipue, quia iste se con-

(1) Scarfantonus lib. IV, tit. IV, n. 11; Castaldus praxis cærem. lib. 1, sect. VIII, cap. III, n. 2.

(2) Scarfantonus ibidem n. 12.

(3) Monitio S. Caroli ad canonicos; Scarfantonus et Castaldus locis cit.

(4) S. R. C. 17 Nov. 1674, *Neapolitana*.

(5) Scarfantonus et Castaldus locis cit. Barbosa de canonicis, cap. XXXVI, n. 1.

(6) Louvrex dissert. 18, n. 6.

(7) S. R. C. 26 Januarii 1658, *Uladistavien*.

(8) Scarfantonus lib. IV, tit. IV, n. 50-53; Castaldus loco cit. n. 4.

tumacem ostendit; et magis attenditur contumacia sic recedentis, quam non comparentis. Non autem recessisse dicitur, qui justa impellente causa, ex capitulo egreditur, mox reversurus, petita scilicet venia; qua injuste, prout in aliis casibus, denegata, videtur ipso jure concessa (1).

Quandocumque præses capituli aliquid resolvendum proponit, quod respicit proprium vel suorum commodum, negotio proposito, e capitulo exire debet, sicut ipse Episcopus in simili casu locum capitularem relinquere, et capitulares eorum libertati relinquere tenetur. Similiter canonici, de quorum speciali interesse in capitulo agendum est, proposito negotio, a loco capitulari se retrahere debent, donec res discussa et finita fuerit (2).

VI. Negotia capitulariter tractanda et expedienda sunt: capitulo scilicet legitime congregato, negotia proponenda sunt, debita facienda est deliberatio, et singulorum vota audienda (3).

VII. Semel acta in capitulo, revocari nequeunt ab iisdem canonicis, nisi capitulariter congregatis (4). Item quæ in capitulo extraordinario seu speciali gesta et statuta sunt, non videntur in capitulo ordinario revocari vel mutari posse, quia eodem modo quid dissolvi debet, quo colligatum fuit (5).

VIII. Juxta aliquos ad juniores spectat, primo in capitulo loqui, ne ipsi a majorum sententia declinare formident; contraria vero praxis in omnibus fere existit ecclesiis, in quibus canonici digniores et antiquiores junioribus præferuntur in loquendo, respondendo et votis tam secretis quam publicis proferendis; tum quia primam vocem in capitulo habere, maximi honoris signum est; tum quia majores prius loquendo, minores attrahunt in suam sententiam, quæ utilior et sanior præsumitur (6).

IX. Ad præsidem capituli primo pertinet quæcumque vult proponere, et deinde idem efficere fas jusque est cuilibet capitulari per ordinem (7). Unde ad dubium: An et quomodo singulis canonicis post præpositum jus spectet proponendi materias discutiendas

(1) Scarfantonus loco cit. n. 45-49; Castaldus loco cit. n. 3.

(2) S. C. Episc. 14 Mart. 1615 apud Gavantum Manuale Ep. *Capitulum* n. 18; Scarfantonus lib. IV, tit. IV, n. 22.

(3) Lucius Ferraris *Capitulum*, art. 1, n. 50.

(4) Barbosa de canonicis, cap. XXV, n. 17.

(5) Louvrex dissert. XVIII, n. 35-39.

(6) Scarfantonus lib. IV, tit. IV, n. 26-29.

(7) Scarfantonus ibidem, n. 54.

in capitulo? Sacra Congregatio, licet contraria esset, attestante Archiepiscopo, praxis illius capituli, respondendum censuit inspecto jure singulorum capitularium: *Affirmative per ordinem antianitatis* (1). Hinc Præses capituli merito jus illud primus exercet, ad cæteros tamen etiam spectat absque veniæ necessitate (2).

X. Post factam propositionem super negotio a capitulo decidendo præses capituli immediate animi sui sensum aperire potest, non autem suum suffragium seu votum dare: priusquam enim proprium proferat votum, aliorum canonicorum consultationes audire tenetur (3): ita ut, antequam ad vota procedatur, prius consultatio facienda sit, omniumque observationes audiendæ; ultimum enim animadversiones, priorum opinionem et sententiam, eorumque consequens votum immutare valent.

XI. Litteræ quæ ad capitulum dantur, a capitulo aperiuntur; sed expediret capitulariter eligere unum aut alterum, qui eas statim aperiret (4). Alias autem coram omnibus interesse habentibus, collegialiter congregatis, aperiuntur per præsidem vel secretarium capituli vel alium deputatum, qui omnibus videntibus eas aperire, ac intelligibili voce legere debet (5).

XII. Omnia agenda sunt pace mutua, voluntate concordi et charitate fraterna. Nemo alium dicentem interpellat. Sententiam suam quilibet modeste dicat. In rebus consultandis vitandi clamores et contentiones; cavendæ rixæ, jurgia et contumeliæ (6).

XIII. Qui suo loco et ordine sedere vel sententiam dicere noluerit, aut dicentem interpellare ausus fuerit, a capituli præfecto corrigendus est, et multo magis qui jurgia vel contentiones excitaverit, vel alicui contumeliam irrogaverit (7). S. Carolus in suo provinciali concilio pœnam statuit, ut talis jure ferendi suffragium in illo ac duobus aliis sequentibus capitulis privaretur: et ut censet Scarfantonus (8) qui ita se gerunt, digni sunt privari jure dandi vocem, tam in illo quam in sequenti capitulo.

(1) 26 Februarii 1796 in *Firmana*.

(2) Zamboni *Capitulum eccl.* § 1, n. 22; et tom. 4, *Præpositus* § 2; *Analecta juris Pont.* sér. 6, 1863, fol. 2039.

(3) S. C. C. 27 Januarii 1691, lib. 41 decret. fol. 44 apud Scarfantonum lib. IV, tit. 1, animad. 11.

(4) Cong. Ep. 13 Mart. 1615, apud Gavantum Man. Ep. *Capitulum*, n. 35.

(5) Scarfantonus lib. IV, tit. XVI, n. 11.

(6) S. Carolus in monitis ad can. Castaldus praxis cærem. lib. 1, sect. VIII, c. III; Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 47.

(7) Castaldus loco cit. n. 5.

(8) Lib. IV, tit. IV, n. 24.

XIV. De iis quæ in capitulo dicta vel facta fuerunt, extraneis revelari non licet. Jus commune eam quidem obligationem non injungit; idcirco tamen canonici inculpabiles habendi non sunt, si divulgent dicta vel facta in capitulo ob inconvenientia, quæ exinde non raro oriuntur.

Capitulum rationabiliter condit statutum etiam juratum de non revelando ea quæ in capitulo tractantur; et canonici qui more fœminarum, quæ nihil apud se retinere norunt, secreta capituli prodeunt, merito plectuntur pœnis a statutis impositis. Si canonici juxta statuta juramento se obligent ad secretum servandum, veram certe contrahunt obligationem, quam religiose servare debent. Hoc juramentum juxta S. Alph. de Ligorio (1) obligat graviter vel leviter juxta nocumentum, quod afferri potest, quia obligatio juramenti sequitur obligationem secreti. Hoc tamen non vetat quominus negotia capitularia aliquando ad ordinarium referantur (2).

XV. Acta capituli accurate notanda et scribenda sunt in libro, qui in archivio reponatur et custodiatur (3).

Hic liber et omnia quæ pertinent ad capitulum, uti sigillum, volumen statutorum, omnesque scripturæ et libri, diligenter conservanda sunt (4).

§ 11. De præside capituli.

I. Qui præsidet capitulo, sedet in prima sede, quæ uti convenit, debet esse pulchrior et ornatior cæteris (5), nisi adesset Episcopus, ut dictum est § præc. ad III.

II. Major seu dignior de capitulo præsidet, etiamsi in sacris ordinibus non sit constitutus, nec vocem habeat, nisi forte ex statuto aut consuetudine ad alium spectet (6).

Digniori absente, de jure præsidet ille, qui post istum sequitur sive ordine dignitatis sive antiquitatis.

Præside capituli delinquente quoad recipienda vel exquirenda

(1) Théol. mor. lib. III, n. 183.

(2) Scarfantonus lib. IV, tit. XVI, n. 68-73; Barbosa de canon. cap. XXXVII, n. 24; Craisson Manuale jur. Can. n. 2386; Carli Bibliotheca Lit. *Canonici* 1, n. 6.

(3) Gavantus Manuale Ep. *Capitulum* n. 32.

(4) Scarfantonus lib. IV, tit. XVI, n. 13 et 14.

(5) Scarfantonus lib. IV, tit. IV, n. 15.

(6) Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 9-13.

vota aut describendas resolutiones capitulares, major pars capituli alium ad ejus officium deputare potest (1).

III. Preces dicendas recitat, ordinem observare facit, et delinquentes admonet et corrigit.

IV. Negotia pertractanda proponit (2), quin tamen impedire possit, ut canonici alia negotia proponant, ut § præc. dictum est, nisi capitulum ob certam causam convocatum fuerit : in quo casu forte impedire potest, ne cæteri aut eorum aliqui alia negotia, quam illa, quorum ratione convocati sunt, proponant; et præses capitulum dissolvere, et e capitulari loco discedere potest (3) : quia capitulum, quod ad alia negotia determinatum fuerat, per eorumdem resolutionem jam terminatum est.

V. Litteras capitulares in capitulo aperit, nisi alius ad hoc constitutus sit, ut § præc. dictum est. Consultatione facta, suffragia et vota canonicorum exquirat et colligit, quamvis etiam in sacris ordinibus non sit constitutus (4) : nisi scrutatores a capitulo deputati fuerint.

VI. Capitulum ad beneplacitum suum dissolvere nequit, antequam capitulares super negotio proposito vota dederint, nisi de consensu majoris partis capituli, quia tunc regula intrat, quod gesta a majori capituli parte rata esse debeant, et consequenter negotii a præside propositi resolutio in aliud tempus a majori parte differri possit. Extra hunc autem casum præses et minor pars capituli impedire nequeunt, quominus super negotio proposito resolvatur, etiamsi præses et minor pars capituli e loco capitulari exierint : si enim minor pars præsens resolutionem capituli impedire nequeat, quanto minus si exeat, cum exeundo extraneam se faciat pro illa vice (5).

Multo minus præsidi capituli licet post collecta capitularium suffragia conclusionem aut promulgationem differre, quia votis jam collectis conclusio est actus necessarius, qui illico subsequi debet, et sine capitularium præjudicio differri nequit (6).

(1) Scarfantonus lib. IV, tit. VI, n. 57.

(2) Castaldus praxis cærem. lib. 1, sect. VIII, cap. III, n. 3; Barbosa de canon. c. XXXV, n. 2; Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 9.

(3) Louvrex dissert. XVIII, n. 68-70.

(4) Barbosa de canon. c. XXXV, n. 2; Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 9.

(5) Louvrex dissert. XVIII, n. 65 et 66.

(6) Louvrex ibidem n. 67.

§ 12. De Episcopo diocesano.

I. Concilium Tridentinum sess. XXV, cap. VI de reform. statuit : « Episcopis ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est; eisque in choro, et in capitulo, in processionibus et aliis actibus publicis sit prima sedes, et locus, quem ipsi elegerint, et præcipua omnium rerum agendarum auctoritas. Qui si aliquid canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agatur; episcopi ipsi capitulum convocent, vota exquirant et juxta ea concludant. » Concilium Tridentinum, ut liquet ex titulo, qui huic capiti præponitur, agit de capitulis exemptis. Si autem hæc Episcopis competant in capitulis exemptis, eis certe competent in capitulis non exemptis, quæ ipsis directe subjiciuntur.

II. Quandocumque Episcopus capitulo intervenit, sive ut Episcopus, sive ut canonicus, debetur ei prima Sedes supra omnes canonicos et dignitates ac etiam supra præsidem capituli. Hoc certum est, et communiter admittitur, si adsit qua Episcopus : licet autem juxta nonnullos auctores (1), si adsit qua canonicus, sedere debeat post præsidem capituli; certum tamen etiam est, Episcopo, sive intersit ut Episcopus sive ut canonicus, primam sedem competere, 1º quia S. R. Congregatio sic sæpius declaravit quoad Episcopum titularem (2); 2º quia Episcopus sedet in prima sede chori; 3º quia precedentia sedis ac hujusmodi præeminentiæ sunt inseparabiles a dignitate Episcopali (3).

Ad Episcopum etiam pertinet invocare Spiritum Sanctum, sive recitare preces ante capitulum (4).

III. Si Episcopus simul sit canonicus, gaudet jure assistendi capitulo, nisi agendum sit de re ad suum vel suorum commodum spectante, ut infra dicetur; habet vocem in capitulo, sicut omnes canonici, sed unicum tantum votum dare potest (5) in loco suæ admissionis. In hoc autem casu ipsius non est capitulum regere et

(1) Fagnanus in I, p. III. Decretal. de conc. præb. c. *Postulastis*, n. 25-27; Scarfantonus lib. IV, tit. IV, n. 15.

(2) 13 Nov. 1621, *Calaritana in Sardinia*; 1 Dec. 1657, *Leodiens*; 3 Dec. 1672 et 6 Mart. 1673, *Neapolitana*; 18 Ap. 1682, *Mojoricen*.

(3) Lucius Ferraris *Capitulum* art. 1, n. 26 et 27.

(4) S. R. C. 17 Nov. 1674, *Neapolitana*.

(5) Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 34; Lucius Ferr. *Capitulum* art. 1, n. 22.

dirigere, sed præsidis capituli, qui aliquid propositurus, id debita cum urbanitate agere, et Episcopo caput inclinare debet, quasi licentiam ab ipso petendo (1).

IV. Episcopus diœcesanus, etiamsi non sit canonicus, capitulo tamen intervenire potest, ut liquet supra ex Concilio Tridentino.

Dum capitulo assistit ut talis, ei debetur non tantum prima sedes, sed etiam præcipua omnium rerum agendarum auctoritas, tunc ipse negotia proponit, vota exquirat, et juxta ea concludit (2). Suffragium tamen seu votum dare nequit, quia hoc solum spectat ad capitulares (3).

V. Licet autem Episcopus jus habeat capitulo interveniendi, cum canonicis, ut ait Concilium Tridentinum, ad deliberandum aliquid proponendum habet; jus tamen non habet generaliter assistendi capitulo: nam Concilium Tridentinum statuit eodem loco sess. XXV, c. VI de reform. ut *cæteris in rebus capituli jurisdictio et potestas, si qua eis competit, et bonorum administratio salva et intacta omnino relinquatur*. Quapropter canonici acturi de negotiis capitularibus, Episcopum in capitulo admittere non tenentur (4), nisi Episcopus ex consuetudine vel ex jure speciali jus haberet interveniendi in omnibus capitulis, etiam in iis quæ fiunt pro rebus spectantibus ad capitulum (5), dummodo non agendum sit de re ad Episcopi vel suorum commodum spectante.

Si enim in capitulo agendum sit de interesse proprio Episcopi vel suorum, eo casu Episcopus capitulo intervenire non potest: et si capitulum congregaverit, et rem proposuerit, quæ de suo vel suorum commodo agit, debet exire, et relinquere canonicos in capitulo solos, ut ipsi libere rem discutiant et determinent (6). Sacra autem Congregatio Concilii censuit hoc intelligendum esse, *quando agitur de eo, quod privatim interest Episcopi, etiamsi id spectaret ad ipsum tanquam Episcopum, secus de re spec-*

(1) Vid. cap. X, § 1, et Praxis mea Pontificalis tom. 3, n. 347.

(2) Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 36; Decision. S. Rot. R. in 1 p. Scarfantoni n. 43; Lucius Ferraris *Capitulum*, art. 1, n. 23 et 24.

(3) Scarfantonus ibidem animadv. 31-34, et tit. III, n. 35; Lucius Ferraris ibidem n. 21.

(4) Scarfantonus lib. 1, tit. 1, n. 53.

(5) Scarfantonus ibid. animadv. 32; Lucius Ferraris *Capitulum*, art. 1, n. 17.

(6) Lucius Ferraris *Capitulum*, art. 1, n. 18 et 19; Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 32; Barbosa de canon. c. XXV, n. 8 et 9.

tante ad ipsius Episcopi jurisdictionem, officium, dignitatem, administrationem et regimen (1).

VI. Episcopus canonicos cogere nequit, ad declarandum, quæ negotia in capitulo proponere et tractare velint, sed ad exhibendos libros resolutionum capitularium, sive ad præstandam copiam actorum capitularium, quamvis capitulo interesse non licuerit (2). Ratio diversitatis est, quia prohibitio assistendi servit ad conservandam libertatem suffragiorum, ne canonici præsentia Episcopi retrahantur a votis libere pandendis; traditio autem resolutionum, ubi personæ non nominantur, respicit tantum superioritatem Episcopi vel illius interesse (3).

§ 13. De vicario generali.

I. Concilium Tridentinum sess. XXV, cap. VI de reform. statuit: *Absente Episcopo, omnino hoc ab iis de capitulo, ad quos hoc de jure vel consuetudine spectat, perficiatur; nec ad id vicarius Episcopi admittatur*. Concilium hoc capite agit de capitulis exemptis, ut liquet ex ejus titulo. Unde juxta nonnullos secus dicendum est de capitulo non exempto (4). Plures tamen etiam generaliter dicunt, vicarium generalem, absente Episcopo, capitulo intervenire non posse, et canonicos, si nolint, illum in capitulo admittere non teneri (5).

II. Vicarius generalis equidem capitulo intervenire et assistere potest: 1º si sit canonicus (6); 2º si sit consuetudo (7); 3º si agatur de rebus, in quibus de jure requiritur consensus sive consilium capituli (8); 4º ad sedandas factiones et tumultus, ne oriantur scandala (9).

Capitulo tamen intervenire nequit, si agendum sit de rebus ad

(1) 1587 in *Seguntina*; Scarfantonus lib. IV, tit. XIII, animadv. 48; Lucius Ferraris loco cit. n. 20.

(2) Barbosa de canon. cap. XXV, n. 5 et 6; Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 42.

(3) Decisio XXV, S. Rot. R. in 1 p. Scarfantoni n. 5-7.

(4) Lucius Ferraris *Capitulum*, art. 1, n. 16.

(5) Barbosa de canon. c. XXXV, n. 12; Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 37.

(6) Barbosa loco cit. et Scarfantonus ibidem animadv. 37.

(7) Lucius Ferraris *Capitulum*, art. 1, n. 17; Scarfantonus loco cit. n. 38.

(8) Scarfantonus ibidem.

(9) Scarfantonus ibidem n. 39.

suum, suorumve aut Episcopi commodum pertinentibus; et si capitulo interfuerit, et rem de interesse proprio seu suorum aut Episcopi proposuerit, debet exire, et relinquere canonicos solos, ut ipsi libere rem discutiant et determinent, ut § præc. de Episcopo dictum est (1).

III. Quando capitulo assistit ut canonicus, in proprio loco canonicatus seu promotionis sedere debet (2), in digniori autem loco, si uti vicarius intersit (3).

Vicarius generalis vocem in capitulo non habet nisi sit canonicus, quia hoc tantum spectat ad capitulares. Uti vicarius suffragium ferre non potest, et uti canonicus unicum tantum in loco suæ receptionis (4).

§ 14. *De rebus pertractandis in capitulo.*

I. Primo loco, sicut justum est, proponenda et tractanda sunt quæ concernunt officium divinum ejusque celebrationem; tum quæ spectant ad ecclesiasticam disciplinam, ad statutorum et laudabilium consuetudinum observantiam; deinde si opus fuerit, agendum est de chori defectibus ac de correctione delinquentium in ecclesiæ servitio; et demum de privatis rebus ac temporalibus negotiis (5).

II. In capitulo tabula officii ordinanda est, vel jam composita ab illo ad quem pertinet, prælegenda, ut omnes officia sua cognoscant, et omnibus præsentibus mox corrigatur, si quid corrigendum irreperit.

Providendum etiam est officiis, muneribus et oneribus occurrentibus, prout occasio aut necessitas exegerit. Si opus fuerit, elegendi sunt receptor, punctator, secretarius, præfectus sacristiæ, rector confraternitatis, deputati pro seminario, ad concilium provinciale, etc.

Notandum est, ad hæc munera eligendos esse illos, qui magis idonei censentur, quia in his nulla ratio dignitatis aut antiquitatis consi-

(1) Lucius Ferraris *Capitulum*, art. 1, n. 18-20; Barbosa loco cit.

(2) Barbosa loco cit. n. 12.

(3) Decisio 47, S. Rot. Rom. in 1 p. Scarfanti n. 18; *Analecta juris Pont.* sér. VI, 1863, fol. 2041.

(4) S. R. C. 17 Jul. 1640, *Turritana*; Lucius Ferraris loco cit. n. 21 et 22.

(5) S. Carolus in instruct. ad canonicos; Scarfantonus lib. IV, tit. 1, animadv. 46 et 47, tit. IV, n. 55.

deranda est. Aliud autem dicendum est de muneribus, quæ rationem præeminentiae aut cujusdam prærogativæ præ se ferunt, uti sunt officia pontificalia et propria dignitatibus, circa quæ ordo in cæremoniali Episcoporum præscriptus, exacte servandus est. Talia plura in capitulo ecclesiæ cathedralis occurrere possunt, uti inter alia receptio novorum canonicorum, quæ ad digniorem et alias ad seniorem canonicum pertinet, et sine injuria alteri committi nequit, nisi per statuta vel consuetudinem aliter disponatur.

III. Canonici curare, et ad hoc in capitulo præcipue providere tenentur, ne bona foundationum et res ecclesiæ deperdantur aut diminuantur, sed integra et illæsa conserventur, et ad successores transmittantur. Hanc obligationem imponunt indubitata fundatorum intentio, ipsa foundationum natura, Ecclesiæ canones et leges, quæ etiam rerum ecclesiasticarum alienationem inibent, eamque factam irritant (1).

Canonicorum similiter est, attendere, ne annui proventus aliter quam secundum fundatorum voluntatem atque ordinationem distribuantur. Si v. g. fundatores ordinaverint, ut proventus in distributiones singulis horarum officiis annectandas, et inter solos præsentibus dividendas, convertantur; aut solis his, qui in certis solemnioribus festis chorum frequentarint, et officiis divinis interfuerint, cedant: haud dubie canonicis illicitum erit proventus illos, etiam inter istos, qui ab horis canonicalibus abfuerint, aut in dictis solemnioribus festis et officiis non comparuerint, partiri (2).

Præterea ea pars reddituum, quæ ex piis testantium dispositionibus provenit, et est destinata vel pro eleemosynis missarum, vel pro distributionibus, assignatis pro celebratione anniversariorum, vel pro certo servitio, et assistentia divinis officiis; hæc in illum præcisum usum applicanda est, nec ad libitum capitularium potest in diversum converti aut diminui emolumentum. Quæ enim ad certum usum destinata sunt, ad alium converti non debent (3).

IV. De redditibus annuas expensas excedentibus disponere possunt capitulares in communes ecclesiæ necessitates, veluti pro sustinendis litibus communibus aliisque oneribus, universum statum ecclesiæ respicientibus, et conferentibus ad totius corporis honorificentiam, et in subventionem aliarum necessitatum alia-

(1) Wildt, *Off. sive obligatio canonici*, cap. X, § 1.

(2) Wildt ibidem § 3.

(3) Ita Scarfantonus lib. IV, tit. V, animad. 1.